Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35449
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

nec enim vana fides est .i. falsa. nam degeneres animos arguit timor .i. probat. Inpugnat heu per hoc amoris impulsus ostenditur. quibus ille iactatus fatis. ut quis terra te dea pertanta pericula casus: bella exhausta canebat finita terminata quod nimie virtutis est: nam inchoare bella quorumlibet est, vincere vero finire paucorum. Si mihi non animo fixum immotumque sederet. cogi sese optat que sic negat sedere placeret ut et sedet hoc animo vinclo iugali sinerisis est pro vinculo iugali. aut propter iugum quod imponebatur matrimonio coniugendis unde et Iuno iugalis dicitur. primus amor .i. fefellit maritus. pertesum thalami tedeque fuisset. pertesus principium est sine sui origine et regit genitivum ut hoc loco nam genitivus singularis est. Huic uni forsan potui succumbere culpe. singula pensitanda sunt. ingenti enim dicta sunt libra moderatione quibus confessioni desiderii sui quandam inicit refrenationem. culpe propter antiquum ritum quo repellebantur a sacerdotio bis nupte. fatebor enim bene uno sermone et culpam expressit et necessitatem fateri enim est coactorum est et culpabilium. miseri post fata mulieribus dixit miseri aut mortui secundum Ciceronem qui in tusculanis miseros mortuos vocat. aut certe ob hoc miseri cuius iam obliviscitur. aut sic accipe. Sparsos fraterna cede penates scilicet Didonis dispersos per fugam intelligimus sic fratris pollutos cruore. inflexit quia supra ait fixum immotumque sederet. inflexit a contrario proposito deviavit. labantem impulit et labare facit non enim lababat qui ante immobilis fuerat. Cavendum sane ne labentem contra metrum legamus. nam la longa est ut labere nimpha polo. veteris vestigia flamme bene inhonestam rem sub honesta specie confitetur dicens se agnoscere maritalis coniugii ardorem. Sed ut tellus optem prius ima de-

Iuno iugalis.

pertesus

i et accusativum ut pertesus ignavia sua

Cicero.

dehiscat. callide ac si diceret posse coniungi enee si mors secuta non fuerit. pallentes umbras herebi in herebo alii herebi legunt. ac tua iura resolvam propter vinculum iugale. abstulit amores cum illo consumpta sunt desideria et voluptates. sinum lacrimis implevit abortis. sinus dicimus orbes oculorum .i. palpebras que a palpitatione dicte sunt nam semper moventur. implevit aut quia lacrime plerumque sic oculos tenent et bene premisit excusationem huius lacrimis post commemorationem mariti. Anna refert suasoria est omni parte plena nam et purgat obiecta et ostendit utilitatem et a timore persuadet. O luce magis dilecta .i. dilectior. nam antiqui frequenter pro comparativo iungebant particulam magis tale et illud est. nate mihi vita quodam dum vita manebat care magis. sola ne sola ne merens iuventa carperis iuventa. nec dulces natos propter liberos que sunt causa secundum matrimonii ut Iuvenalis. Sed placet Ursidio lex Iulia tollere dulcem cogitat heredem. alii male iungunt natos veneris cupidinem et eneam. veneris nec premia voluptates Homerus TATEA POPOMTNT. Id cineres aut manes credis curare sepultos propter illud quia marito iuraverat ut non servata fides cineri promissa Sicheo. et bene extenuat dicendo non animam sed cineres et manes sepultos dicat aut secundum epicureos qui animam cum corpore dicunt perire. Esto adverbium concedentis est grecum. flexere mariti non qui erant sed qui esse cupiebant. alii intelligunt egram mariti ut sit genitivus singularis. non ante tyro ac si diceret tunc aut certe tyrotum .i. de tyro ut Dardanus hesperia. R. ex libie qui Didonem re vera voluit ducere et ut sit historia cum hoc negaret Cartagini intulit bellum cuius timore cum cogeretur a civibus petiit

Sinus

Iuvenalis.

Esto

historia